ORATIO

PRO STUDIORUM INAUGURATIONE

DICTA

IN REG. COMPLUTENSI UNIVERSITATE.

DE ORIGINE SAPIENTIÆ

AC DE JUVENTUTE

IN SACRIS LITTERIS ERUDIENDA,

ORATIO

PRO STUDIORUM INAUGURATIONE

IN REG. COMPLUT. UNIVERS.

Dicta

CORAM EJUSDEM DD. MM. ET ALUMNIS

A R. A. P.

Fr. BARTHOLOMÆO ALTEMIR,

Reg. Obs. S. P. N. S. Francisci Lect. bis jub. Sacr. Theolog. Doct. et Cathed. ac Orat. Moderat., &c. &c.



MATRITI:

APUD E. AGUADO, REG. UNIVERSIT. TYPOGRAPHUM.

MDCCCXXXII.

Fons Sapientiæ verbum Dei.
Eccli. c. 1. v. 5.

Quidquid utile est in Sacris Litteris invenitur.
D. Aug. lib. 2. de Doct. Christ. c. 42.

Cum de Sapientiæ præstantia, ejusque encomiis, eximiisque privilegiis jam olim coram vobismetipsis in hoc perillustri Athenæo disseruerim, iisdem felici auspicio, faustoque eventu labentibus circumstantiis, eademque cum sit ratio dicendi, ut tantæ doctrinæ ordo dilucidius appareat, de ejusdem Sapientiæ Origine sermonem instituere operæ pretium duxi. Tanti muneris recte exequendi difficultatem longe meis humeris imparem, quod et non semel palam feci, maximopere pertimesco, mearum namque virium exilitatem, concionisque majestatem agnosco: hujus tamen loci denuo, quia feliciter aliquando fortassis, iterum, et amplius audax fortunam tento. Trepidantem nihilominus ad conspectum vestrum mihi aliunde jucundissimum comparere haud fateri

erubesco. Si enim Isocrates eloquentiæ Pater non immerito appellatus, eo quod ex ejus ludo, veluti è Trojano equo, ut Tullii verbis utar, innumeri iique præclarissimi dicendi Principes prodiere, decem, sive ut aliis placet, quindecim annos in sua de urbis Atheniensis laudibus panegyrica elucubranda oratione insumpsisse fertur; quid me sperem hominem tenui adeo ingenio præditum, intra breve tempus, animi etiam inter angustias, monasticis deditum muniis, æconomicisque simul curis, et anxietatibus distractum peracturum?

Id tamen unum, si vere loquar, optaram, id concupieram, vos nempe, et hos carissimos adolescentes, quos in nostram disciplinam traditos complectimur, de iis quæ ad juventutem erudiendam, stabilemque ejus fovendam felicitatem pertinent, publico rursus sermone alloqui. Memini sane dixisse Tullium: "Nullum munus Reipublicæ afferre possumus majus, meliusve, quam si docemus, atque erudimus juventutem." Et alibi: "Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo definitum locum, ubi beato ævo sempiterno fruantur." Priscorum ergo respicientes ætates, temporis spatia, et annorum seriem repetentes, faciliori nullo modo id fieri posse comperiemus, quam per juvenum in-

stitutionem, quæ innumera damna, si improba; infinita pene commoda, si honeste exercita, societati affert ac Religioni.

Et quamvis quæ sim in medium allaturus privatis sermonibus pleraque agitaverimus, ac intra domesticos parietes multoties exposuerimus, nondum meus animus sese explere poterat, sibique quasi de re perfecta blandiri, donec de vero, nitidissimoque Sapientiæ fonte, non quæ dici queunt, sed quæ nequeunt non dici, aliquantulum reservarem. Oh me felicem! cum nulla fere spes affulgeret, viis præclusis omnibus, insperata sorte, id mihi hodierna die benevolè superi concessere.

Existimandum vero non ideo est, inusitata quædam, vel à communi sensu remota inter dicendum audienda; nihil quippe novum, nihil vobis inauditum mea complectetur oratio, non enim id ago, ut aut orator videar, aut in latinis me litteris ostentem. Non ut magisterii officio erga vos aliquo modo fungi præsumam; nam si D. Bernardus non est veritus aliquando dicere: "Grave est, quod mihi injungitur, ut Doctores doceam" adeone ego tumidus? Quo igitur potiori jure illius melliflui Doctoris verba in hac amplissimorum hominum frequentia iterare queam? Sed juventutis amor, patriæ, et Ecclesiæ nitor

non mediocri animi alacritate cor meum devinciunt, ut quæ sæpissime jam dicta, sæpiusque audita sunt, repetam; sunt enim, nec vos fugit, quæ decies repetita placebunt; abscedat tamen qui nihil nisi expolitum legere, aut dissertum audire soleat, illique omnes quorum haud quidquam animis inhærere, nisi quod blandiori sono aures permulcet, potuerit.

Ast ut ad meum quam citius deveniam argumentum, vestram prius suppliciter clementiam exoramus, illustris admodum famigeratissimi hujus Complutensis Lycæi vigilantissime Rector, eximii Theologiæ, Juris, omniumque facultatum Doctores atque Magistri, adolescentes dilectissimi, cæteri tandem auditores omnes, vestra, inquam, suffultus benevolentia, qua, si alias indignum, nunc non me immeritum reputo, rei aliunde magnitudine inductus pulcherrimique studii inflammatus amore, quantum meæ patiantur vires enitar, ut meridiano sole clarius demonstrem: "Sapientiæ fontem non in prophanis, sed in sacris litteris inveniri."

Ad christianam pietatem partim labentem, senescentem partim hisce præcipue temporibus fulciendam, et magis ac magis roborandam, nullam quippe aptiorem, opportunioremque materiam reperi. Tanti eam viri gravissimi et prio-

rum, et subsequentium sæculorum existimavere, ut dignam esse statuerint, in qua diu, noctuque salutem usque impendentes toto suæ vitæ tempore indefessi laborarent. Mihi testes sint Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Cornelius, Abulensis, Liranus, Calmet, Scio, Amat, milleque alii è magna Doctorum, interpretum, traductorum turba, quos referre mihi facillimum, vobis autem molestum foret.

Paucis possem ab ipsomet orationis exordio rem totam absolvere, si vel à sola Sacræ Scripturæ definitione, ut constans est omnium consuetudo, proficiscar; vel quæ huc, illuc, ubique æterna innuit veritas extemplo patefaciam. Si primum, licet Sacræ Scripturæ altitudo, et excellentia, cum tanta sit, una nequeat definitione comprehendi, nec explicari, varia tamen à variis ei imposita nomina nihil nobis desiderandum relinquunt. Ea siquidem est emanatio quædam claritatis omnipotentis sincera, vapor Dei: cibus et potus animæ: liber vitæ et testamentum Altissimi. Quas Salomonis, Pauli, Hieronymi et Augustini sententias recolens Hugo, ita demum illam describit: "Scriptura indelebilis, cujus cognitio vita, cujus aspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas inevitabilis, cujus verba innumerabilia, et unum tantum verbum

omnia: En ejus ortum, en ejus originem, atque principium."

Quamvis autem Scriptura Sacra veræ Sapientiæ fons ex superioribus appareat, non defuere tamen viri loquentes perversa, ac in cœlum, ut ita dicam, spuentes, qui nedum mordacibus diatribis veritatis majestatem detraxere, sed pertinaci mente, inter quamplurima deliramenta asseverare ausi sunt, à malo quodam Deo (quem ipsi fingebant) processisse. Sic Cerdon, sic Marsion, sic Ponticus, sic potissimum juxta Augustinum, et Irenæum longo post tempore Manichei effutire legimus. Horrendum sane! A cœlo est, et inde procedit: "Ego dabo vobis sapientiam."

Ne timueritis, dum sapientiam absconditam ab oculis omnium viventium audiatis. "Quibus enim abscondita, nisi sapientibus prophanis? Queis revelata, nisi parvulis catholicis? Deus quidem novit locum ipsius." Nobis vero clavis adest, et quidem aurea, ad ubi servata est adaperiendum. Incasum interim laborabit, frustra insudabit, aërem, ut ita dicam, verberabit, qui extra Deum per sacras litteras, totidem veluti epistolas è cœlo missas, multifariam loquentem Sapientiæ scaturiginem comperire præsumat.

Quid ergo? Nihilne bonarum artium studia, nihil philosophorum dogmata, nihil sapientum

vigiliæ, nihil veterum recentiorumque labores acquirendæ sapientiæ, informandæ juventuti, et ad optima quæque erudiendæ conferunt? Nihil deserviunt? Nihil prosunt? Adeone quæ Plato, quæ Socrates, quæ Seneca, quæ Plutarchus, quæ sexcenti alii de homine, de virtute, de moralitate, de innumeris rebus sapientissimè tractavere, levia, inania, ineptaque quorumdam nostri judicio sunt existimanda? Cur ergo prophanorum sententiarum argutiis Ambrosius, poëtarum illecebris, et mimorum salibus Hieronymus, facetiis eorumdem, et jocis Tertullianus, aliique utuntur? Cur ipsemet Paulus Paganorum Euripidis, Arati, et Epimenidis loca transfert, repetitque sententias? Nonne D. Basilius orationem de utilitate AA. prophanorum ad juventutem direxit, eique dicavit? Tantæne ergo adversus prophanos animis cœlestibus iræ?

Vereor mehercule, ne cui vestrum paulo liberior mea videatur oratio, plurimum tamen abest, ut propter scrupulosam aliquorum nimietatem à proposito themate recedam. Imo potius quidquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii: quidquid auctoritate, fide, constantia possum, id omne ad meam sententiam conficiendam tibi præclaræ juventuti polliceor. Ad hanc siquidem causam (haud te lateat) non sic imparatus ac-

cedo, ut sapientiæ prophanæ naturæ, meritique ignarus, temeritate potius, quam veritate ducar. Non in re adeo peregrinor. Graviter propterea me offendit, qui aut optimas scientias contemnere, aut eos qui illis operam navantes, et se, et ipsas honore prosequuntur, me inhonorare somniaverit; tam impudentis, ac sceleratæ mentis futurum arbitror neminem, qui vel leviter hoc suspicari audeat.

Quantum sapientes aliqui et in Academia, et in Licæo educati in gratiam fecerint juventutis, scio. Quæ Numa Romæ, quæ Solon Athenis, quæ Licurgus Spartæ, quæ Cretæ Minos, quæve alii alibi præstitere, non ignoro. Miror etiam, stupesco, tantum lucis inter tot doctrinæ, morumque tenebras irradiasse. Sed cavete decipiamini, dum suam sapientiam eos jactare audieritis, dum sibi rerum omnium incunabula, et incrementa deberi vociferantur, dum buccis crepantibus intonare audent, se barbariem dispulisse, se humanitatem intromisisse, se antiquitatis caliginem discussisse, se naturæ jura vindicavisse, se sapientiæ venam aperuisse.

Utinam quam confidenter asseverantur ista, tam vere dicerentur, ut omnimodam eis fidem libere præberemus. Ast non mihi arduum erit, nec operosum valde, tumidas horum blaterantium

philosophorum voces confutare, atque ex ipsorum medulla scriptorum, eorumdem coarguere levitatem, imo et pervicaciam, impia namque sub dulci melle venena latent. "Hinc acutissimum illud Taciti apophthegma, quod juvenibus inculcare congruum est, ne labores nostros frustra susceptos esse nostris oculis perspiciamus, scilicet: "Nescire quædam magna pars scientiæ:" sententia mirabilis, quæ cum illa Divi Pauli ad Romanos congruit: "Non plus sapere, quam oportet sapere."

Sed numquid omnibus neglectis studiis, ac prætermissis disciplinis, uni tantum Scripturarum meditationi intentos omnes nos esse expediet? Non defuere aliqui, qui quadam ingenii fingentis libertate, aut aliis dissentiendi cupidine ducti, hæc nobis inconsulto objiciunt, huic tamen inventæ objectioni sic venerabilis Thomas à Kempis satisfacit: "Grandis insipientia est, quod neglectis utilibus et necessariis, ultro curiosis et damnosis intendamus." Nonne adversarios dulci hoc eloquio retundit? Nonne funditus evertit? In medio virtutem consistere ignorat nemo, et licet in extremum procedere aliquando opus sit, ut in medium deveniamus juxta Seraphici Doctoris regulam, nos tamen neque hanc impræsentiarum amplectimur, non enim omnia prophanorum rapuimus, sed respuenda vitare intendimus.

Quoties amabo (et de his maxime loquimur) sapientes quidam, si tali nomine insigniri merentur, præter fastum, ac ementitam eruditionis larvam, pro fortitudine temeritatem, pro gratitudine libidinem, ignaviam pro mansuetudine, fœdissimaque vitia pro virtute supplantarunt, et invexerunt? Væ, qui malum bonum, bonumque malum è converso annuntiant!

Quid ab iis exputandum, qui licet ingenii laude polleant, primam veritatem dignoscunt? Qui cum flagitiosissimè vivant, ne initium quidem sapientiæ didicerunt? Hisce quisquis in fontibus biberit, mortiferum forte ac lethale inter aquarum dulcedinem venenum potabit. Quamplurima ad juvenum efformandos animos in lucem ediderunt Romani, florentissimæ tamen juventutis vitia, quæ eos in perniciem, totamque in excidium Rempublicam ruere miro quodam cæterarum gentium stupore, ineluctabili autem fato adegerunt, eorum scripta vitare non potuerunt.

Ciceronis, Virgilii, aliorum necnon celeberrimorum et Rhetorum, et Poëtarum nostris juvenibus lectio commendatur. De sapientissimo illo homine, nec unquam satis laudabili Perpigniano cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio, unde politiorum litterarum studiosi piæ,

christianæque eloquentiæ formam petere possunt hæc scripta lego: "In Cicerone uno quasi tabernaculum vitæ suæ collocasse." Missum facio D. Hieronymum, dum libro primo adversus Jovinianum de sapientia à fontibus Tullianis hausta, loquitur: "Alios demum prætereo quamplures, qui ad sidera usque Ciceronem extollunt."

Non damno, non improbo; ast non semel hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo, conquestus sum. Quid etenim pace vestra, AA. sapientissimi, quid in Tullianis frequenter orationibus, nisi verticosum vanitatis, ulciscendique spiritum discent tyrones? Auream eloquentiam mirantur omnes, lenitatem vero, humilitatem, alias pariter virtutes, quibus extremas mundi oras incolentes homines imbutos esse opus est, ut erga se, sibique similes officia juxta præcipua legis naturalis principia adimpleant, non raro desideramus; quam ob causam (ipsius Ciceronis libro tertio de Oratore verba repetam) "Juventus nostra dedisceret pene, discendo." Sit ille eloquentiæ princeps; ast num ars ista à sacris litteris aliena est? Cassiodorum audiamus: "Omnis splendor, ait, rhethoricæ eloquentiæ, omnis modus poëticæ loquutionis à divinis Scripturis sumpsit exordium."

Hinc quasi sponte fluit, non aliter nobis de

Virgilio sentiendum. Quid musæ sine moribus vanæ proficiunt? Quid juvant? Quid, quæso, in Virgiliana Æneide, dum de Ænea ac Didonis amore loquitur Mantuanus, juvenibus discendum proponitur? Si ad historiam oculos convertunt, mendacium apparet; si ad chronologiam, anachronismus adest; si ad moralitatem delitescens cupidinis ignis forte sopitus inflammatur; et si quandoque non accendit, non insufflat saltem? Nobis dicere fas sit, nunquam fere prophanos poëtas præsertim legi posse, quin comprobatum Ovidianum illud effatum appareat: "Mixtaque erat flammæ flamma prophana piæ." Christianus quidam præclarissimus poëta, quem Venerabilis Ludovicus à Granada honorifice commemorat, gloriatur, quod sordidas poëtarum gentilium musas ad Jordanem fluvium adduxerit, eosque ab omni spurcitia undis jordanicis expurgasse. Proh dolor! O miseram sortem! Quis non eam conqueretur? Quis non illacrymabit? Ut bene loqui ediscant juvenes, malè forsan vivendi periculo subjiciuntur?

His aliisque observatis, matureque perpensis, nihil, aut parum in juvenum felicitatem è prophanorum doctrinis erui posse, et imperiti, et docti uno ore fatentur; verum enimvero non adeo otio vacamus, ut in his diutius immoremur. Cur ergo dum majora nos vocant, tempus terimus?

Sint sane Philosophi sapientes, sint magistri, sint artium repertores, leges etiam ac jura constituerint, vitia quædam extinxerint, aliquas adhuc virtutes invexerint, saluberrima præcepta dixerint, docuerint, scripserint, non quæro, non disputo; at quæcumque ab illis excogitata, quæcumque inventa, quæcumque perfecta fuerint, tanti profecto non sunt, ut illorum scriptis, ac sermonibus vera possit nostrorum adolescentium felicitas committi. Et quia me fallere mea potest opinio, vosmetipsi judicate. Queis rogo magistris vestrum quilibet liberos erudiendos traderet? Sacris, aut prophanis? Dicite, vestrum enim negotium agitis.

Ast quis nisi mentis impos prophanos nedum præferre, sed et comparare tantum cum sacris ducibus audebit? Quis philosophorum catervam, Socratis nempe et Aristotelis discipulos, innocentiæ umbras, et simulacra virtutis: quis Stoicorum familiam, Epicuri gregem, naturæ ac philosophiæ dedecus; quis horum primogenitos atque nepotes Lutherum, Calvinum, Woltairium, Rousojum, gregales quoque suos, europeæ impietatis antesignanos: quis tandem lethiferam mundi lucem, hujus nempe furfuris doctos homines cum Hagiographis conferre, etiam si jocari velit, non perhorrescet? Quid luci cum tenebris? Quid paleis ad triticum?

Quorsum, qui tenerarum mentium adolescentum tantos voluptatum motus, quibus circumfluuntur, velit comprimere, tuto tendet? Quorsum, qui effrænatas eorum cupiditates, quibus ut plurimum æstuantur, cohibere intendat? Quorsum denique, qui tumentibus animis, assiduis jactatis fluctibus imperare, aut aliis ingruentibus malis mederi cogitet? Prophanorum scripta cumulet? Væ illi! Non est ista sapientia de sursum descendens, ait S. Jac., sed terrena, animalis, diabolica. Non in fabulis vera sapientia, inquit, Augustinus, sed in studio Sacræ Scripturæ consistit.

Procul ergo, procul este, prophani, quorum libri puerilibus, futilibusque de lana caprina, ut dici solet, contentionibus, quæ virum ingenuum veræque Sapientiæ amatorem dedecent, sunt referti: ad sacras litteras, ubi nec jota unum superfluit, nec unus apex mysterio caret, confugiamus. In his nihil incertum legimus, nihil vanum, nihil frigidum. Nihil imo non magnificum resplendet, non sublime, non divinum. Haud unquam conjecturæ exurgunt, aut disputationes; non lites apparent, aut pugnæ; non aniles nugæ, aut garrulæ inmiscentur fabellæ; sed certa, explorata, et infallibilia dogmata, ipsius Dei auctoritate quasi sigillo munita deprehenduntur. "Quidquid ibi docetur, veritas: quidquid præcipitur, boni-

tas; quidquid promittitur, felicitas est." En præclarum Victorini testimonium, magni illius philosophi, tot nobilium Senatorum Doctoris, cui ob magisterii insigne nomen, famamque benemeritam in foro romano statua erecta est.

Cæteroquin litteræ sacræ animorum nostrorum insaniam compescunt, legum auctoritatem tuentur, ad sua populos obeunda munia inflectunt. Regibus sceptra conciliant, honorem parentibus præcipiunt, thalamo fidem servari jubent, inimicos cogunt diligere, gladios è bellantium manibus extorquent, ferocissimas gentes leniunt, adamantina corda in ceram liquefactam convertunt; quanta demum commoda importent, nemo, quantumvis dissertus et eloquens, enarrare valet.

Hosne prophanorum lectio miros producet effectus? Loquantur, qui illi non parum dediti, litem nostram possunt dirimere; sancti, inquam, Ecclesiæ Doctores, qui et sacris et prophanis litteris intense operam dedere. Hieronymus de vivendi forma ad Rusticum monachum aperte fatetur, se humana philosophia nunquam tantum profecisse, ut ardorem libidinis, vitiorumque incentiva domaret: quod Sacræ Scripturæ indefesso studio, et meditatione illico fuit asequutus. D. Augustinus fere idem testatur, cum enim ipsius Platonis et aliorum philosophorum libros, non

sine aliquo fructu percurrisset, illorum assidua lectione nunquam se ita permotum agnovit, ut sæculi hujus vanitates, et illecebras contemnere ex animo vellet, quousque..... (eum audiamus in libro septimo Confess.) « Garriebam plane, ait, quasi peritus, et nisi in Christo Salvatore viam tuam quærerem, non peritus, sed periturus essem."

D. ergo Augustinus, quia in sacris litteris veræ Sapientiæ fontem agnoscebat, earum sic utilitatem denuntiat. Cæteræ omnes disciplinæ ob id magno in pretio sunt, quod mundanarum rerum notitia mentis insitam caliginem depellere solent; at vero hæc divina Sapientia (verba sunt Salomonis) est speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum luci comparata, invenitur prior. Quare in Epist. 2.ª ad Volusianum nullo modo ferendum putat, ut scientiæ ullæ, vel litteræ, aut disputationes, aut leges, cum hac divina scientia conferantur: quin etiam vitia esse quæcumque de libris gentium collecta, si divinarum Scripturarum scientiæ comparentur, absque dubio asserit, sine suspicione docet; cæterasque in hac sola contineri, pluribus, apertissimisque comprobat rationibus. Hìc, inquit, philosophia, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo Creatore sunt. Hìc ethica, quoniam bona et ho-

nesta vita non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, et quemadmodum sint diligenda, diliguntur. Hìc logica, quoniam veritas, lumenque rationale, non nisi Deus est. Hìc denique omnia, nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile, ibi invenitur; et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius inveniet, quæ nusquam alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine simul ac humilitate discuntur.

Hoc studio tamquam nutricis lacte enutriti sunt, et educati sancti illi Ecclesiæ proceres Basilius, Gregorius, Cyprianus, Athanasius, Cyrilus, Damascenus, Ambrosius, Chrysostomus, et cæteri illis antiquiores, qui doctrina et sanctitate claruerunt, et Sacram Christi Ecclesiam summopere illustrarunt. Ex his unius tantum Chrysostomi, ne adhuc in re nostra anceps sit aliquis, auctoritatem pronuntiabo. Bonum est, inquit, divinarum Scripturarum lectio; hæc enim facit animum optimis moribus præditum, in cœlum mentes transfert, gratitudinis studiosum reddit hominem, ne aliquid præsens affectu prosequamur, sed ut perpetuo alia vita mente nostra versemur, et ad Domini mercedem respicientes virtutum labores alacriter aggrediamur.

Et si hæc parva sunt, aut videntur, adjiciam multo majora. Sacris litteris novo quodam miraculo propagatis, in unam animam civitates, linguis, moribusque diversæ convaluere, quod haud philosophorum ullus tentavit; ac si quis audaciori animo tentamina præmisit, oleum et operam se perdidisse, experientia didicit. Imparato insuper sacris intonantibus litteris, Græcorum fœda, ac pudicitiæ inimica religio interiit, superstitio evanuit, cœca cupiditas periit, et Ecclesia radiantibus laureolis decorata, illustribusque coronata triumphis, crescere cœpit, et amplificari. Adfuit tempus et quidem felicissimum, cum sacrorum librorum lectione ita homines exardescerent; alterius ita vitæ amore æstuarent; ita peritura mundi bona fastidirent; honores, amicos, opes, delicias, vitam ipsam ita contemnerent, ut nec blanditiis, nec minis, nec verberibus, nec suppliciis, nec frementibus feris exalbescerent. Oppressi, vexati, raptati, in frustra concisi, fortiter perire potius, quam turpiter salvari, maluerunt. Tyrannorum inde furori constantissime obsistentes gloriosam mortem multo avidius quærebant, quam vanis caducisque ambitiosior inhiat honoribus, vel pecuniarum cupidissimus auri fame confectus post ipsum abit.

Ex sacrarum litterarum fonte ad labores æquo

animo præferendos, et in pressuris, quæ frequenter solent accidere, ut medellam hauriamus, Ecclesiæ Doctores nos quidam sapienter hortantur, nobis alii imperiose jubent. Omnium medicinarum thesaurus, inquiunt, divinæ sunt Scripturæ; sive stultitiam exuere, sive affectus sedare, sive pecuniarum cupiditatem expellere, sive dolores contemnere, sive fortem animum induere, sive adversa patienter tolerare velimus. Ita D. Chrysostomus, qui et subjungit alibi; neque arborum comæ pro pecorum tuguriis factæ meridie per æstum tam oves reficiunt, optabilem exhibentes umbram, quam Sacrarum Scripturarum lectio afflictas angore animas, ærumnisque implicitas solatur, simulque recreat.

Hieronymus ad Paulam et Eustochium verba faciens, inquit: "Si quid est, ó Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter pressuras et mundi turbines quieto ac tranquillo manere animo persuadeat, id esse vel primum reor, meditationem et scientiam Scripturarum." Innumera alia hujusce, ac Augustini, Ambrosii, reliquorum omnium Patrum luculentissima proferrem testimonia, si, qua me auditis benevolentia, qua auscultatis patientia, abutendi non timore aliquo occuparer. Elegantissimam quoque, quam D. Chrysostomus hac de re persequu-

tus est orationem ad litteram libenter transferrem; ut ex adverso si quis est, qui rationi et experientiæ aures obturaverit, in animum sibi ad minus inducat, quacumque humanam naturam calamitate premente, efficacem antidotum, optatumque pharmacum in sacris litteris affluenter reperiri. Sed quæso: nihil ne in laboribus, in calamitatibus, in pressuris prophanorum præstat lectio? Nullum auxilium præstat? Nullum solatium affert? Nullum nostræ imbecillitati remedium propinat? Nullum sane, dum nihil in divinis scriptoribus abundantius. Attritis humanæ libertatis viribus, turbatis vitæ rationibus, cogitationibus dissipatis, nullibi, nisi in sermonibus Domini, et diligenter perceptis, et fideliter absolutis suis quisque vulneribus salubre medicamen poterit invenire.

Ut autem me serio loqui firmius credatis, sciatis oportet: "Nihil tam absurde dici posse, quod ab aliquo philosophorum non sit dictum." *Hæc* Cicero. "Nunquam tam veridicos fuisse philosophos, quam cum sententiam in se de sua ignorantia dixere." Sic Lactantius. Quæcumque propterea dicant, nostra haud multum interesse arbitror. Temperantiam itaque, sobrietatem, beneficentiam, amorem patriæ, societatis vinculum omni ætate vociferentur philosophi. "Virtutis præ-

mium honor, virtutis amplissimum præmium gloria." *Brutus* jam, Tullius tunc temporis clamabat. Hæc itidem apud latinos, et græcos juvenes edocebantur, aliaque posteritate quidem digna, nostrisque intimis infigenda medullis, verbis, et scriptis eorum docuere Magistri. Sed quid inde? Ad felicitatem, in quam prædicta collimant, pervenerunt auditores? Vos videritis. Virtutem sperni, pudicitiam nullo in modo habitam, civilia bella foveri, undequaque insidias parari, animi languoribus, quibus ante magisterium afficiebantur, homines post illud æque laborare animadvertitur. Quæ ergo utilitas? Quidnam doctrina profecit? Apud Sacros Scriptores non est sic: delectant enim, erudiunt, suadent, movent, convincunt, eorum lectione inflectimur, corrigimur, et ut plurimum emendamur. Quam igitur nobis utile, quamque pretiosum vel minimum Scripturæ verbum esse debeat, ex eo potissimum liquet, quod uno aut altero obiter audito, non raro compertum est, mundanarum rerum laqueos, quibus detinemur, abrumpi, nonnullosque ad tantum sanctitatis culmen esse evectos cernimus, ut magnis etiam viris exemplo pariter, et admirationi fuerint. Antonius Abbas, Augustinus, Alipius, Seraphinus Pater Franciscus, aliique ab Apostolis ad nos usque permulti, hac vel illa sacrarum litterarum

lecta, auditave sententia, mirabili quadam vi, ac divini verbi illius impulsu, ignita quasi jacula perfossi terrena omnia calcarunt, se totos Deo dicarunt, opibus, honoribus, deliciis, patriæ (amore licet ejus dulciter capti) cunctis sæculi illecebris *valete* dixerunt.

Arguetne aliquis, ut Porphyrius olim et Julianus Augustus vel imperitiam historicorum mentientium, vel eorum stultitiam, qui statim secuti sunt Dominum? Audiat iste D. Hieronymum, qui hoc illi modo satisfacit: "Si in magnete lapide et succinis hæc esse vis dicitur (et est reipsa) ut annulos, et stipulam et festucas sibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos vocabat." Quid, rogo, ex his inferri licet, nisi sacrarum literarum potentia, supremumque cordium non abduratorum dominium?

His præjactis fundamentis, mirari minime debemus, quod illis despectis, seu oblivioni traditis, cœca nox universum orbem circumdet, quod nullibi ullum exiguum adhuc appareat lucis radiolum, quod omnes indiscriminatim medio sole ita cœcutiamus, ut quo eundum, quo progrediendum, quid agendum, quid prætereundum, quæ juvenes edocenda, quæ illis sint consilianda nesciamus. Nulla namque lex est, nulla virtus, nulla

veritas, quæ à prophanis speciosis, seu temerariis potius rationibus non consentiantur. Hinc illa hæreseon pernicies oritur: hinc vitæ licentia procedit: hinc crasissimi proficiscuntur errores: hinc dissidia, hinc jurgia, hinc omnia mala nascuntur.

Meritò igitur Joannes uberrimas effundens lacrymas: "Flebam multum, inquit, quia nemo dignus inventus est aperire librum." Si mysticus hic liber aperiretur; si Sacras Scripturas scrutati homines fuissent; quandonam ita de honore erga parentes, de virginitate, de vita eremitica, de societate, de Regibus, de augustioribus veritatibus, quæ omnium menti primo obtutu obversantur, ultramontani quidam, et gallò-hispani garruli ac pervicaces mordicus effutiissent? Heu mihi! Qui mores, quæ leges, quæve jura sarta, tectaque manerent, si quibus impiissimi scriptis, tumescentibus maxime conjurationibus, Religioni ac societati subdole insidiantur, sacrorùm veritas librorum non occurreret? Vita ipsa salva, et in tuto esse nusquam posset, si umbrosum chaos non evanesceret; si quas spisissimas tenebras super altare ac thronum perfidi expandunt novatores, suo Divinæ litteræ fulgore non collustrarent? Nihil ergo à prophanis, à quibus veram Sapientiam, ut orationis exordio indixi, abscondit Deus, desideretis. O quantum et quantum

est in illis inane! Expectet sane, qui Terentii nugas appetat, qui Ovidianos non oderit amores, qui sordes non abhorreat Catulli, qui Martialis obscœnitates non respuat, qui, quas fabulationes appellatur Propheta, non aversetur; nunquam tamen Sapientiam, quæ inter jocos, et nugas non ambulat, adipiscetur. Qui vero utilia peroptet, qui salutifera cupiat, qui desiderabilia appetat, qui cœnosas aquas fastidit, qui limpidissimas tandem, quibus sacros scatire fontes probavimus, bibendi ardet desiderio; veniat, properet, accedat, bibat, inebrietur: quidquid enim utile est (omnia siquidem ad nostram utilitatem scripta sunt) in sacris litteris, juxta M. P. Augustini sententiam, invenitur.

Quid mihi dicendum superest, AA. O. Omnium sacrorum librorum saltem epitomen vellem nunc, sed in ictu oculi, ne longius procedam, vobis offerre. In stuporem indubitanter rapemini dum quæ in legalibus, in historicis, in sapientialibus et in propheticis tum novi, tum veteris Testamenti ad nostram doctrinam, vivendique normam accommodata sensu perceperitis. Cumque turgidus prophanorum stilus vos stomachari soleat, Scripturæ Sacræ oblectamenta invitos proculdubio alienarent; illius namque simplicitas altiori sublimitati indivulse copulata, insensibili quo-

dam præstigio (ut de Aristotele Moysem perlegente narratur) vestrum animum incantaret.

Idemne in prophanis experimur? Proh Deus! Mihi eos signate scriptores, quorum superstes celebrior fama habeatur; et postquam cum divinis eos quasi per transennam contulerimus, ultimum hac de re, libere, et prout vobis plus arriserit, judicium pronuntiabitis.

Apud græcos, sicuti apud romanos nobilissimos floruisse sapientes, qui luculentissima ingenii sui monumenta reliquerunt, inficias ire nequeo, egomet non semel fassus sum, nonnullos retuli, neque iterare recuso. Præstantissimos fuisse, plus forte quam fama prædicat, Demosthenem in dicendo, Aristotelem in scribendo, in narrando Livium, in omni litterarum genere Ciceronem, id, nullo cogente, vel homo hebetior seu ingenio tardior, vel in orbe litterario infantulus atque neophytus, concedet; eosdem vero, si cum uno Moyse conferant, invenustos et infantissimos esse asserent. "Ita scripsit, ita dixit, ita Moyses cogitavit, ut Græciæ splendorem, et Latii lumina præclarissima infuscaverit." Ecce suffragium celeberrimi hujus nostræ ætatis ingenii, qui poëtas, oratores, ac cujuscumque generis prophanos plurium annorum spatio versavit, nec lippis oculis perlegit.

Sed quid tam multis argumentis ad hoc pro-

bandum in re tam aperta opus est? Stultum fortasse judicabit aliquis rem extra omnem dubitationis aleam positam in dubium revocare. Et certe, stultos, ne impios dicam, et sacrilegos judicandos censeo, qui de sacræ illius scientiæ quam Deus ipse invexit (Ego Dominus docens, ut inquit Isaias) et in se et ad alias comparatè utilitate dubitarent; in id autem luctuosissimum tempus deventum est, de quo Paulus ait ad Timotheum scribens: "Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur."

Quamobrem, ne horum pervicaciæ nostro silentio ansam præbeamus; nihilque sit in hac parte, cui nostra non obsistat oratio, eis quoque respondendum, qui nedum affirmant SS. PP. Gregorium Nissenum, Basilium, Chrysostomum atque Leonem scientias prophanas, earumque cultores magni fecisse, sed et D. Hieronymum ita Ciceronis studio se addixisse asserunt, ut sacrarum litterarum studium, quod incultus illi sermo horrorem pareret, prorsus neglexerit. Ast hi nostram causam agunt: sæpe enim diximus prophanas scientias veluti adjutrices, et ancillas scientiarum reginæ, qualis est Sacra Scriptura mini-

me fuisse à Patribus despecta, neque à nobis ullo tempore despiciendas. Quoad Hieronymum verò attinet, quare vapulavit? Quare fuit acriter objurgatus? Quod Ciceronianus esset, non Christianus. Ipsum ad Rufinum scribentem legite.

Verumtamen, ne nos inimicis terga dare, eosque metuere præsumatur, Homerum, Maronem, reliquos quoque musarum principes, qui in rerum morumque simillimis imaginibus exprimendis non sibi coæquales agnoscunt, quique, si valet dicere, seipsos superant, ad publicum certamen provocamus. Pudore abs dubio afficerentur, tantique sui nominis honorem in perpetuum abdicarent, si Iliadem, si Æneidem, si cætera omnia sua poëmata cum epithalamico Salomonis, cum Canticis scilicet Canticorum, quivis conferre tentaverit. Illud plurimum exoptabat in poëticis compositionibus Augustinus: "Ut dum suavitate carminis mulceretur auditus, divini sermonis pariter utilitas inferretur." Ubinam hæc conditio? In illis, "Apud quos tota impuritas vocatur urbanitas" ut ait Minutius? Hoc est per scopulos ducere ad littus, ut Naciancenus de quibusdam poëtis disserens aliquando nos monuit. Quid autem de prophetis dicendum? Historicos omnes prophanos, rethoricos, scriptores quoscumque, si in pugnam venerint, debellabimus; cumque millies sua scripta

evolverint, fatigati tandem, ac frustra lacessiti arma cedent, nostræque religionis imperio hac in parte subjicientur. Te unum appellabo Isaiam; te unum prædicare debeo, et cogitatione complecti: te, tanquam cœlo receptam Divinam mentem, qui, quantum res divinæ humanas antecellunt, tantum Sallustium, Hortensium, Quintilianum, Ciceronem ipsum et dicendi gravitate, et majestate sentiendi superasti. Quis nobilius, sublimius simul ac simplicius sub innocentis agni imagine, ovisque ad occisionem ductæ figura, hominis mansuetudinem depinget? Delphinum in silvis appingit, ut in sua arte poëtica de prophanis prævidet Horatius? Si quæ autem in eo, sicut in cæteris Hagiographis obscuritas apparet, non nisi quia obtrectationibus imperitorum, vel abutentium vitio splendor eis intercipitur, et quia Scriptura Sacra "lucerna est lucens in caliginoso loco" quod ab hominis animalis longe est intellectu, ut multis ab hisce annis fuit ab Apostolo præventum. Ego quippe, ut de me loquar, dum Isaiam, aliosque, qui afflante Spiritu Sancto scripserunt, perlego, levatis in cœlum oculis cum Augustino clamito: "Taceant Doctores omnes: sileant universæ creaturæ: tu, Domine, mihi loquere solus."

Quid namque desiderandum, quod in sacro

codice non inveniatur? Duces quæritis strenuos? Scipionem et Fabium sinite: Judam, Machabeos habetis. Mulieres insignes? Conticescant Semiramis et Artemisa: en Judith, en Deboram, Reges potentes ac magnificos? Alexandrum et Cæsarem solus David obmutescere coget. Sapientem nulli hominum ante, et postea secundum? Tu unus Salomon pro decem millibus computaris. Sed hoc est in infinitum progredi. Supersedeamus ergo.

Sed audiatis prius, Doctores sapientissimi ac studiosissimi juvenes, audiatis rogo Ecclesiæ Patres ac Magistros, non solum viros, sed et fæminas ad sacrarum litterarum studium adhortantes. "Si Scripturas divinas aut ipsi non legimus, ait » Augustinus, aut legentes alios non libenter au» dimus, ipsa nobis medicamenta in vulnera con» vertentur, et inde judicium habebimus, unde » potuimus habere remedium."

Neque frigida illa verba proferamus, addit D. Chrysostomus, mundanus sum, mulierem habeo, puerorum curam gero; ne nosmetipsos fallamus, sed quanto magis hujusmodi curis implicamur, tanto magis divinarum Scripturarum remedia suscipiamus.

Hieronymus demum de Marcellæ viduæ laudibus sermonem faciens, illiusque in discendis, atque tractandis sanctis Scripturis studium refe-

rens, sic in Epistola ad Primipiam loquitur: "Hoc solum dicam, quod quidquid in nobis longo fuit studio congregatum, diuturnaque meditatione quasi in naturam versum, hoc illa libavit, didicit atque possedit. Quo quidem exemplo Lætam, Paulam, ac utriusque sexus fideles omnes ad prædictam lectionem instanter invitat.

Sed ne sanctarum litterarum studium promiscue multitudini concedendum arbitremini, hisce maxime temporibus, in quibus innumeræ Bibliæ vulgari lingua Londini, Parisiis, et alibi typis mandatæ, sed impiorum hominum malitia depravatæ, sunt evulgatæ, ad vos impræsentiarum sermones mei tantum diriguntur. Vos igitur, Condoctores mei, qui non mediocri ingenio præstatis; vos, adolescentes optimi, qui ad omnes disciplinas acquirendas estis parati et instituti, ne sacris parvipensis litteris in prophanorum libris evolvendis, his præsertim, quorum prava colloquia vestros mores possunt corrumpere, tempus teratis. Magna nobis, divina gratia, optimorum librorum est copia: eos absque timore mane, et vespere legite, diu noctuque versate, Bibliam præcipue, cujus ab idiomate græco etymon *Libri* per antonomasiam dicitur, ut per hujus religiosi itineris, rectæque veritatis semitæ stratum gradientes, prophanorum devia, et noxia calcetis figmenta.

Faxit itaque Deus, ut vos omnes de veritate certi, de utilitate securi, ab omni luto purgatam aquam Sapientiæ è sacrarum litterarum fontibus in vitam æternam salientibus hauriatis: nullisque ab aliis juvenibus potandam temere quisquam præbere conetur. Vestris demum animis infigite, signate primam illam regulam, quam Ferdinandum, Regem nostrum, Pium, Augustum, Desideratum suus præceptor edocuit cum nondum ad regalem thronum, quem non minus digne quam tot ejus illustres proavi occupat, ascendisset, quæque in Biblia (vulgo) Patris *Scio*, et quidem in ipsius fronte insculpta legitur, sitque ultima, quam vobis, et cunctis in totius mei argumenti comprobationem obtestor: "Fons Sapientiæ verbum Dei." Dixi.

O. S. C. S. E. C. A. R.